THESES EX SACRA SCRIPTURA ET THEOLOGIA QUAS AUSPICE VIRO EMINENTISSIMO...

Felice Cavagnis



THESES
EX SACRA SCRIPTURA ET THEOLOGIA

QVAS

AVSPICE VIRO EMINENTISSIMO

S. R. E. CARDINALI

FABIO M. ASQVINI

COLLEGII CERASOLII PATRONO

PROPVGNANDAS SVSCIPIT

FELIX CAVAGNIS

CLERICVS BERGOMENSIS

EIVSDEM COLLEGII

IN PONTIFICIO SEMINARIO ROMANO ALVMNVS

XV. CAL. SEPTEMBR. AN. MDCCCLXII.

FACTA CVILIBET POST TERTIVM

SINGVLAS OPPVGNANDI FACVLTATE



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM

1862

EMINENTISSIME PRINCEPS

Postquam, opitulante Deo, ad theologicas disciplinas animum admovi singulas earum non solum cognoscere, sed omnes quoque percipere vel maxime necessarium esse perspexi. Nam quod ab initio meorum studiorum curriculo ab aliis acceperam, re cognovi, theologorum esse contra omnes, qui a recti semita deflexerint, et pro omnibus vera affirmantibus, dicere. Alia quoque accedebat causa. Si enim consideratio, contemplatioque naturae, ut magni nominis, summaeque eloquentiae Philosophus aiebat, est animorum, ingeniorumque nostrorum naturale quoddam quasi pabulum, et indagatio ipsa rerum magnarum, occultarumque habet oblectationem, quid de consideratione, contemplationeque ipsius Divinitatis, et indagatione rerum

caelestium, et sacrorum mysteriorum affirmandum? Quae omnia non solum pabulum, et oblectamentum , sed cuiusque generis gaudiorum complexum, et vitam novam quodammodo afferre videntur. Haec perpendenti fervor quidam mihi innatus est, et mei muneris esse duxi, ut in theologicis disciplinis addiscendis non unam voluptatem, sed nutrimentum pene caeleste mihi compararem. Facilius autem id me consecuturum sperabam, si non tam rationis , quam auctoritatis momenta quaeritarem. Quod enim insulse, et per summam iactantiam Pythagorae discipuli sibi sumpserant, iure, et veritate theologus catholicus potest sibi vindicare et libere proferre, *Ipse dixit*, nempe Deus, quaeque in terris eius infallibilis est interpres, Ecclesia. His ducibus theologicarum disciplinarum viam sum ingressus, et maiori qua potui animi, et corporis contentione singulas iuxta rationem, quae in hoc literarum, scientiarumque domicilio locum habet, theologiae partes permeavi; huius enim, illiusque partium tantum proprium esse dici debet , inter eas admirabilem quamdam continuationem, seriemque rerum adesse , ut alia ex alia nexa , et omnes inter se aptae , colligataeque videantur. Cum haec profero, nolim precor, quisquis hic adest, me, qui puer adhuc sum, et mox tertium theologiae curriculum sum emensus, tamquam theologum doctum,

et absolutum velle ostendere, suspicetur. Tantum fastus, superbiaeque, Bone Deus, a me absit! Haec innui, ut pateat, rite fuisse a me perfecta, quae sapientium consilia docuerant, et superiorum auctoritas praescripserat. Quare primum gratiae mihi agendae sunt Deo bonorum omnium largitori, cuius singulare beneficium effecit, ut in hac Urbe, in qua purus, et legitimus scientiae sacrae fons excurrit, theologicis doctrinis sub iis magistris dare operam possem, qui eruditioni haud vulgari scientiae puritatem coniungunt. Deinde mihi ipsi gratulor peropportunam occasionem oblatam mihi fuisse, ut quodammodo ex tumulo viri beneficentissimi, nempe Can. Flaminii Cerasolii Civis Bergomensis memoriam revocarem. Hic enim quamquam Romae, in qua supremum diem obiit, diu commoratus esset, haud tamen patriae, civiumque suorum est oblitus, et ex suis pecuniis anno 1640. Collegium, quod ab eius nomine Cerasolium est appellatum, adolescentibus ad bonas artes, et praesertim sacras informandis, Romae constitui, et Bergomi, finitimorumque locorum cives in illud admitti iussit. Homo sagax ex diuturna romana commoratione probe senserat, se tunc vero ac perpetuo suae patriae bono, et commodo provisurum, si iuvenes in spem Ecclesiae succrescentes ad S. Petri cineres eruditionem, et sacras doctrinas acciperent. At tristes rerum humanarum

vicissitudines, quae exeunte saeculo elapso evenerant et hominum rapacium ingluvies effecerant, ut perditis Collegii Cerasolii bonis, ipsum Collegium extingueretur. Porro Antistitum piae Archisodalitatis a SS. Bartholomaeo, et Alexandro nuncupatae de Urbe curae, et industriae, quos mira Cardinalium eiusdem Archisodalitatis Patronorum sapientia, et auctoritas adiuvit, asseruit, tribuendum est si illud Collegium iterum in vitam rediverit, simulque Gregorii XVI. Pont. Max. cuius memoria est eritque apud nos in benedictione, et PII IX Pont. Max. cuiusque optimae institutionis sacrae, civilisque auctoris, et amplificatoris jussu, et voluntate factum fuit, ut huic Pontificio Seminario Romano illud adiungeretur, Collegiumque Cerasolium in florentissimo Cleri Romani viridario sereretur, ut utraque arbor, una eademque cultura, et irrigatione habita, eosdem fructus produceret. Hodierno autem die novo et inusitato gaudio perfundor, quod ante te, Princeps Eminentissime, libere loqui possum, Tibique non solum meo sed etiam meorum Sodalium nomine, qui vel ante nos in hoc loco versati fuerint jamque in Ecclesia Bergomensi literis, scientiisve tradendis, vel in sacris ministeriis explendis ad ampliorem Dei gloriam adlaborant, vel qui mecum heic morantur, tibi ob beneficia singularia, quibus

nos cumulasti, gratissimos animi sensus liceat exprimere. Tua eximia rerum sacrarum peritia, tuumque vehemens studiosae iuventutis fovendae ardor te impulit, ut nostris bonis consulere in deliciis haberes. Perge, optime Princeps, nobis tuo favore ac tuis curis paternis praesto esse, quibus diligentia, pietate, ceterarumque virtutum ornamento par referre curabimus.

Sed tempus est, ut sermo meus, unde est profectus, eo revertatur. Meorum laborum, qualescumque ii fuerint, velim libenter, et humaniter fructus excipias. Ex sacra Scriptura, et Theologia, quibus triennio operam dedi theses selegi quas hodierno die in hoc spectatissimorum Praesulum, et illustrium virorum corona, tuis auspiciis, tuaque tutela defendendas suscepi, non quidem ad ostentandam meam scientiam, quam si qua mihi sit, sentio esse satis exiguam, sed ut omnibus pateat me eam doctrinam addiscere, quam Christus Apostolis, et Ecclesiae tradidit, eamque fidem sequi velle, cujus depositum integrum B. Petri Successores servarunt, servabuntque inviolatum, et pro qua asserenda usque ad sanguinis effusionem Deo adiuvante resistam.



*

EX SACRA SCRIPTURA



I.

Miraculum est criterium certum veritatis doctrinae, cuius in confirmationem editum est.

II.

Idem dicimus de prophetia stricte sumpta, cui respondit eventus.

III.

Frustra increduli et rationalistae ad infirmandam vim probationis, quae ex vaticiniis desumitur, sybillina aliaque paganorum oracula obtrudunt.

IV.

Quae Moses in Pentateucho de factis historicis, praesertim prodigiosis enarrat, plenam fidem merentur.

V.

Nec minori fide pollent narrationes de miraculis, quae in libris historicis N. F. referuntur.

VI.

Ex quatuor postremis Pentateuchi libris certum est Mosen multa veri nominis miracula edidisse, quibus luculenter divina eius legatio confirmatur.

VII.

Inter portenta, quae praeclarus ille populi Israelitici legi-

slator operatus est, adnumerandas dicimus decem plagas in Egyptios immissas (Ex VII—XII) quas Eichhornius et Bonsfordius de totidem naturalibus calamitatibus ex physica illius regionis conditione quotannis prodeuntibus ineptissime explicant.

VIII.

Hisce addimus transitum Israelitarum per mare Idumaeum Ex. XIV. quem Michaelis, Niebuhr, Rosenmüller contra regulas legittimae interpretationis ad extremam sinus arabici oram occasione refluxus marini contigisse statuentes, naturali ratione peractum affirmant.

IX.

Praeclarum porro est vaticinium illud Mosis (Deuter. XVIII. 15-18) quo Israelitis *propheta* de fratribus suscitandus promittitur. Ubi נביא non *collective* prophetarum seriem, ut Rosenmüller eique adhaerens Kuinöel tuentur, sed exclusive Christum Iesum significat.

X.

Permulta etiam veri nominis miracula Christus et Apostoli patrarunt, quibus suam divinam missionem clarissime ostenderunt.

XI.

Miraculum omnium maximum fuit gloriosa Iesu a mortuis resurrectio, quam Ille praedixit et vere, realiter et sicut praedixit, evenit.

XII.

Non est audiendus Griesbachius, qui diversitates *περιστασεων* in narrationibus Evangelistarum de resurrectione Christi occurrentes, ex imperfectis et confusis mulierum relationibus derivans, vere inter se pugnare blaterat.

XIII.

Ineptissime ab incredulis urgetur comparatio inter miracula Iesu Christi et jactata Vespasiani, Adriani, Apollonii Tyanaei aliorumque prodigia.

XIV.

Silentium prophanorum Scriptorum circa stupenda illa Iesu et Apostolorum facta nedum veritati illorum officeret, sed illam potius confirmaret; non desunt tamen in re nostra prophana documenta nominatim celeberrimum illud Iosephi Flavii de Christo encomium Arch. Iud. lib. XVIII c. IV. cuius γνησιοτης gravissimis argumentis innititur.

XV.

Irrito conatu rationalistae ad evertenda facta supernaturalia, quae in Bibliis enarrantur, mythicum genus interpretandi sacrum codicem invexerunt.

XVI.

Intollerabilis est sententia Eichhornii et Kuinöelii qui negant Act. II. sermonem esse de supernaturali ac portentoso charismate Apostolis die Pentecostes concesso loquendi linguis peregrinis, totam narrationem explicantes de novo quodam ενθουσιασμῳ insolitoque fervore quo Iudaei ex variis nationibus ad Christi fidem conversi, illa eadem die statim correpti, lingua vernacula cuique propria divinas laudes effuderunt.

XVII.

Nec minus recedunt ab omnibus sanae interpretationis legibus Vitringa et Rosenmüller dum ea quae Act. IX de portentosa Pauli ad fidem Iesu Christi conversione leguntur, naturaliter de ictu fulminis cum tonitru et orta

subinde in animo eius anteactae persecutionis in Christianos poenitentia intelligenda esse contendunt.

XVIII.

Multa Iesus Christus protulit vaticinia, eventu amussim confirmata: cuius generis praecipue esse contendimus illud quod Matth. XXIV. exhibetur de Hierosohymorum excidio.

XIX.

Doctrina in Pentateucho descripta, quamvis proposita sit eo tempore quo absurdissima quaeque de divinitate morumque disciplina apud omnes alias gentes tradebantur, tamen puritate ac sanctitate longe excellit in sua parte theoretica ac pratica eam doctrinam quam sapientissimi vel ipsi Graeci et Latini philosophi, aevo etiam longe recentiore ac ipsa aurea aetate docuerunt. Atque hinc divina ejus origo, ac Mosis legatio novo argumento confirmatur.

XX.

Id magis valet de doctrina biblica N. F. quae ad majorem perfectionem per Christum adducta est et cuicumque tempori, nationi, cultus civilis gradui optime convenit.

EX THEOLOGIA DOGMATICA

DE DEO EIUSQUE ATTRIBUTIS

XXI.

Supremi Numinis existentia argumentis ex ratione depromptis demonstratur.

XXII.

Unam esse Dei essentiam, substantiam seu naturam sacrarum litterarum et rectae rationis principiis edocemur.

XXIII.

Dualistarum systema tum in se absurdum dicimus, tum malorum origini explicandae impar.

XXIV.

Non est corpore concretus Deus, sed simplici natura constat.

XXV.

Turpissime hallucinatur Spinoza, qui Deum cum hac rerum universitate confundit.

XXVI.

Ea est Divinae Essentiae excellentia, ut in omni perfectionum genere infinita sit.

XXVII.

Summa autem simplicitas et perfectio divinae naturae exclu-

dit distinctionem realem inter attributa absoluta ad invicem, vel comparate ad essentiam.

XXVIII.

Virtualem tamen distinctionem inter eadem Dei attributa a ss. Litteris edocti, jure praedicare debemus.

XXIX.

Deum esse omnino immutabilem fides et ratio docet.

XXX.

Idemque omnimoda pollet libertate in suorum attributorum manifestatione.

XXXI.

Immensus est Deus rebusque omnibus intime praesens essentia sua.

XXXII.

Nec non aeternus est aeternitate, quae principio fine atque omni successionis fluxu plane est expers.

XXXIII.

Sapientissimus quoque Deus est, ejusque scientia causa rerum exemplaris est et archetypa.

XXXIV.

Divinae scientiae primarium objectum Deus ipse est, quatenus seipsum perfecte cognoscit ac comprehendit; secundarium autem caetera omnia sive existentia ea sint, vel praeterita, vel praesentia, vel futura tum necessaria tum contingentia et libera.

XXXV.

Deus est providus et omnia quae in mundo sunt regit ac moderatur.

DE HOMINE.

XXXVI.

Primi parentes immediate a Deo conditi sunt.

XXXVII.

Et quidem Adam omnium hominum primus formatus et deinde Heva a quibus omne genus humanum ducit originem.

XXXVIII.

Protoparentes nostros in statu justitiae, et sanctitatis constitutos fuisse defendimus.

XXXIX.

Eximiis insuper animi dotibus praeclara praesertim scientia a Deo donati sunt.

XL.

Nec non singulares ab Ipso acceperunt corporis praerogativas, precipue vero immortalitatem.

XLI.

Porro ordinatio illa Protoparentum quae intuitivam Dei visionem spectabat ac adeo mediorum ad eam obtinendam collatio homini erat prorsus indebita.

XLII.

Idem de immortalite et scientia quam a Deo habuerunt dicendum est.

XLIII.

Protoparentes autem praeceptum a Deo habitum trasgressi sunt et per hoc *graviter* peccaverunt.

XLIV.

Per peccatum vero primum hominem non sibi soli nocuisse sed suae quoque propagini affirmamus oraculis innixi S. Scripturarum ac praecipue v. 12 et seqq. c. V. Ep. ad Rom. quibus edocemur peccatum in totum humanum genus esse transfusum.

XLV.

Idem constat ex perpetua Ecclesiae traditione.

CLVI.

Cui quidem traditioni Grysosthomum non adversari contendimus.

DE RE SACRAMENTARIA



DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO

XLVII.

In SS. Eucharistiae Sacramento Christi corpus et sanguinem vere, realiter et substantialiter contineri, demonstratur ex Christi ipsius promissionibus quae habentur Ioannis VI. v. 52 et seqq.

XLVIII.

Haec ipsa veritas non minus evidenter apparet ex verbis quibus in institutione Sacramenti huius Christus usus est.

XLIX.

Fidem autem huiusmodi de reali Christi presentia in Eucharistia perpetuo viguisse in Ecclesia ostenditur ex eo quod Patres omnium temporum in hoc dogmate testando unanimiter convenerint.

L.

In SS. hoc Sacramento haereticum est asserere remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, et negare mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; quam conversionam Ecclesia *transsubstantiationem* appellat

LI.

Argumenta quibus haeretici et increduli doctrinam de reali praesentia Christi in Eucharistia et de transsubstantiatione, ex philosophiae principiis rejiciendam esse ostendere conantur, nullo modo evincunt doctrinae ipsius absurditatem.

LII.

Christus in Eucaristia sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totus et integer continetur.

LIII.

Nec tantum in usu dum sumitur praesens est, sed consecratione peracta, et ante et post usum, ita ut remaneat in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur, vel supersunt.

LIV.

Hinc in eodem Sacramento Christus latriae cultu adorandus est.

LV.

Nullum exstat divinum praeceptum quo fideles omnes obligentur sub utraque specie communicare.

LVI.

Ecclesia autem iure suo iustisque de causis decrevit apud latinos laicis et clericis non conficientibus sub panis tantummodo specie communicandum esse iuxta vigentem iamdiu consuetudinem.

LVII.

Actualis perceptio Eucharistiae non est necessaria necessitate medii ad salutem.

LVIII.

Peccatorum remissio non est neque praecipuus neque unicus sanctissimae Eucharistiae effectus; nec sola fides sufficiens praeparatio est ad eam suscipiendam.

DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

LIX.

Ut ab iis peccatis quae post baptismum commissa sunt mundari homines possent, Christus poenitentiam instituit verum et proprium Sacramentum.

LX.

Gravissime vero errant Protestantes qui Sacramenta confundentes ipsum baptismum poenitentiae Sacramentum esse dicunt, et peccata quae post baptismum patrantur, sola suscepti baptismi recordatione remitti posse comminiscuntur.

LXI.

Adversus Montanistas et Novatianos defendimus nullum omnino esse peccatum , quod remitti ab Ecclesia virtute clavium non possit.

LXII.

Contritio quae ad hoc Sacramentum rite suscipiendum exigitur, non solum cessationem a peccato ac vitae novae propositum et incohationem , sed veteris etiam odium et detestationem includit.

LXIII.

Timor gehennae per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, peccatum non est, neque peccatores peiores facit.

LXIV.

Contritio caritate perfecta non est dispositio necessaria ad gratiam iustificationis in Sacramento Poenitentiae obtinendam.

LXV.

Quin imo si contingat aliquando contritionem peccatoris charitate perfectam esse, eum reconciliari Deo contendimus, priusquam Sacramentum hoc actu suscipiat, non tamen sine Sacramenti voto, quod in praedicta charitate includitur.

LXVI.

Ad remissionem peccatorum in secunda hac post naufragium tabula obtinendam, necessariam esse eorundem confessionem ex ipsa Christi voluntate et institutione sacrae Litterae docent.

LXVII.

Ad mentem autem Concilii Tridentini Sess. XIV. I. V. VIII. dicimus confessionem Sacramentalem, cuius necessitas ex Scripturis exurgit, non in eo sitam esse *ut in genere dumtaxat*, sed potius *ut in specie ac singillatim* peccata sua poenitentes declarent.

LXVIII.

Hoc ipsum ostendit communis Sanctorum Patrum doctrina.

LXIX.

Absolutio Sacramentalis per Sacerdotem facta non est nudum ministerium pronunciandi ac declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se absolutum, sed est actus iudicialis quo peccata vere et proprie remittuntur.

LXX.

Non semper in hoc Sacramento una cum culpa et poena aeterna, totum etiam debitum poenae temporalis dimittitur.



Disputabitur XV. Cal. Septembr. in Aede Sacra S. Apollinari Pontificii Seminarii Romani facta cuilibet post tertium arguendi facultate Praesidibus Rm̃is DD. Can. Philippo Cossa Theologiae Dogmaticae, Philippo Arcangeli Sacrae Scripturae, et Camillo Santori Rei Sacramentariae in Lyceo eiusdem Seminarii Doctoribus Decurialibus.



IMPRIMATUR
Fr. Hieronymus Gigli Ord. Praed. S. P. Ap. Mag.
IMPRIMATUR
Fr. Ant. Ligi Archiep. Icon. Vicesgerens